

fratruales Knutones dicti praefata undecim talenta in villa Bernhartitz<sup>b)</sup>, Cunradus quoque dictus Egerer novem antedicta talenta in Arnoltitz, qui ea a nobis in feūdo tenebant, ad manus nostras libere resignarint, nos cultum dīvinum piis semper promovere affectibus cupientes, ad devotam dicti Cunradi notarii instantiam saepefata viginti talenta reddituum annualium donavimus, appropriavimus et tenore praesentium donamus, tradimus liberaliter et appropriamus ecclesiae Mysnensi saepedictae mediante vicaria et testamento saepefati Cunradi ordinando ut praemittitur iure proprietatis perpetuo possidenda, adiicientes, quod vicarius dictae vicariae qui pro tempore fuerit inter missarum ac divinorum officia nostri perpetuo habere memoriam teneatur. Ut autem praemissa omnia et singula robur perpetuae firmitatis obtineant et vires plenissimae notionis, has litteras dari iussimus sigilli nostri robore communitas. Testes quoque sunt viri nobiles Henricus comes de Swarzbûrch, Albertus buregravius de Aldembûrch, Albertus de Hakebörn, item Henricus de Kolditz, Guntherus de Saltza, Tammo de Haldecke, Syfridus de Schöneveld, Hermannus dictus Goldacker milites et quam plures alii fide digni. Datum Gotha anno domini millesimo trecentesimo vicesimo in die beatorum Fabiani et Sebastiani martyrum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem wenig beschädigten Reitersiegel des Markgrafen an Fäden von rother und grüner Seide.

No. 378. 1320. 11. März.

*Heinrich und Thimo von Kolditz Brüder erklären, dass sie hinsichtlich des Aufwandes, den sie im Dienste des Bischofs Withego, seines Amtsvorfahren Albert und der Markgrafen von Brandenburg gemacht, vollständig befriedigt seien.*

Nos Henricus et Thimo fratres de Koldicz recognoscimus publice per haec scripta, quod venerabilem in Christo patrem ac dominum nostrum, dominum Withegonem Misnensis ecclesiae episcopum, ecclesiam suam et ipsius successores dicimus, facimus et dimittimus quitos et omnino solutos ab omnibus debitis per nos et quemlibet nostrum in Stolpena temporibus domini Alberti praedecessoris sui felicitis memoriae in dampnis, expensis seu quovis alio modo contractis, ac etiam de omnibus et singulis aliis debitis, quae in servitio dicti domini nostri episcopi et marchionum de Brandeburch, Ossecz, Grimmis, Koldicz, Nuzzyn et Mogelyn et alias ubicunque in expensis, dampnis, usuris et obstagiis seu modis aliis quibuscunque temporibus praedicti domini nostri Withegonis et praedecessoris sui domini Alberti dinoscimur contraxisse, renuntiantes ex nunc sponte et libere omni actioni, si quam contra praefatum dominum nostrum episcopum, ecclesiam suam et successores suos habere possemus in praemissis vel quolibet praemissorum. In cuius testimonium sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Actum et datum Nuzzyn anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>. feria tertia post dominicam Laetare, praesentibus honorabilibus viris dominis Heinrico de Wratizlavia, Johanne de Redere, Hermanno de Vriberg, Misnensis ecclesiae canonicis, domino Heinrico de Koldicz patre nostro, Lutoldo de Musela milite nostro, Heinrico et Vlerico de Kaldinburne, et quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den wohl erhaltenen Siegeln an Pergamentstreifen.